

sibi intimari libenter audiat, ac denique omnia, quæ per ipsum bona gesta sunt, DEO soli adscribat.

## CAPUT IV.

### *De Mortificatione.*

**O**Bsecro vos fratres per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem. Rom. 12. Describi potest Mortificatio, quod sit quædam repressio nimie vivacitatis hominis inferioris & appetitûs sensitivi. Distinguitur enim duplex in homine appetitus, *Rationalis* scilicet & *Sensitivus*. Prior vocatur homo

Su-

Superior, novus, interior, ratio, Spiritus, &c. Posterior vero dicitur homo inferior, vetus, exterior, animalis, sive sensualitas. Et quidem ante peccatum Primorum Parentum in homine sensualitas perfectè subdebatur rationi, sicuti ratio, obediebat DEO: at posteaquam Status Innocentiæ amissus fuit, sensualitas cœpit esse rebellis Spiritui sive rectæ rationi; propter quod etiam frequens est inter appetitum rationalem & sensitivum pugna atque dissensio: *Caro enim concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus Carnem, sibi que invicem adversantur Galat. 5.* dum Ratio tendit solùm in bonum honestum,

stum, caro autem fertur in oblectamenta sensuum, nullâ habitâ ratione honestatis, sed solum boni utilis & jucundi. Unde qui carnis desideria sequitur, dicitur *Carnalis*, & secundum carnem vivere, qui verò carnis appetitus refrænât & coërcet, *Spiritalis est*, & Spiritu ambulat, juxta illud *Rom. 8. Debitorum sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus: Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* & *Galat. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Qui sunt Christi, carnem suam Crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*


Est


Est autem Mortificatio duplex : *Exterior* una, quæ sensus externos moderatur & cohibet, ne in illicita diffluant. Altera *interior* & perfectior, quæ sensus internos & potentias animæ refrænât, ne imaginationes, cogitatus vel affectus illicitos admittant. Solet enim Mortificatio coërcere intellectum à curiositate, ut rebus inutilibus non intendat : à judicio temerario, ne in aliorum vitam inquiret à Per- tinacia & singularitate, ut à communi sensu non recedat, neque sibi nimium fidat. Voluntatem moderatur Mortificatio, ut se voluntati divinæ & Superiorum promptè subjiciat, ad eorum nutum officia, & quasvis fun-

functiones suscipiat aut deferat, bonum commune suo privato præferat, & seipsam odio Spirituali prosequatur. Memoriam & Phantasiam etiam refrænât mortificatio, ut noxia & inutilia non recolant. Passiones cohibet, ut rectæ rationis limites non transgrediantur, nec eam prævolent, sed illius ductum & imperium sequantur.

Porrò necessaria est Mortificatio animarum Pastori ex triplici Capite: *Primò* ad evitandum salutis propriæ discrimen in tot occasionibus peccatorum; propter quam causam S. Paulus quoque eam sibi adhibendam duxit *1. Cor. 9.* cum ait: *Casti-*

go corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum alijs predicaverim, ipse reprobus efficiar. Secundo ad partes officij sui ritè & exactè adimplendas: siquidem plurimæ in functionibus Parochialibus occurrunt difficultates & molestiæ, quæ sine Mortificatione & egregiâ sui victoriâ superari nequaquam possunt. Tertio ad declinanda scandala & offensiones. quæ ex nimia passionum libertate & indulgentiâ sequi consueverunt.





## CAPUT V.

*De Tentationibus.*

**F**ili accedens ad sevitutem DEI  
sta in iustitia & timore, &  
prepara animam tuam ad tentatio-  
nem. Eccl. 2. Voluit Spiritus  
S. his verbis significare, servum  
DEI nunquam in hac vitâ  
tutum fore à tentationibus.  
Quod etiam declarat S. Hiero-  
nymus exponens illud, Eccl. 3.  
tempus belli & tempus pacis,  
dum ait: *quamdiu in presenti  
seculo sumus, tempus est belli,  
cum autem migraverimus de hoc  
seculo, pacis tempus adveniet: in  
pace enim factus est locus DEI,* &

Ci-